



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Philemon M. 8. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

8. MART. *Vita Sanctorum.* 141
monitus à cælo, cœptis destitit. Mortuus deinde EQVITIVS tamen suos à Langobardorū vi defendit. Cùm enim hi trucidãdos monachos à tumulto Divi abstraherent, hostibus hic alios hostes dæmones malos immisit. Ab his infessi Langobardi obsidionem scilicet cœnobii solverunt. *Ex Dial. S. Greg. l. 1. c. 4.*

S. PHILEMON M. 8. Martii.

DEdit hodie cœlo risum PHILEMON, cùm terris tantum pararet, nimis doctus mimus. Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus, cùm & scelus facere, & n̄ faceret, pœnas dare metueret, auro PHILEMONEM corrupit, jubetq; ut APOLLONIVM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIVM veste, vultu gestuque mentitus omnium oculos, & quod mirere, suos adeo fallit, repente advertit non vestem modò, sed animum etiam Christianum se induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat. Negat dæmonibus litaturum. Deniq; jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere Apollonium exclamat Præses Arrianus, jubet tibicinẽ PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientẽ. Mox re omni intellectã cachinnũ tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisq; bene simulasse PHILEMONEM Christianam religionem

nem ait. At PHILEMON seriùs jam foccos exuerat, & cothurnos induerat. Quare ad preces ejus tibi igne caelesti exultæ; ipse, cum manus admovere, & aquam nemo auderet, à caelesti manu è nube aquâ primùm, mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est. Inde unâ cum vero Apollonio trajectis ferro pedibus per urbem raptatus. Ultimo ad arboris truncum religatus, & sagittis impetitus est. Sed hæ omnes vel in aëre steterunt, vel in arborem exerrarunt. Vna etiam viam relegit, oculoque judicis Arriani hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam antè non viderat, fidei lucem, injecto (contrà quàm fieri amat) in oculum è PHILEMONIS tumulo pulvere. *Ex Metaphr.*

SS. XL. M. M. SEBASTENI.

9. Martii.

AMbulaverat per omnes cruciatus impietas, & exhausta tellus nulla jam reliqua tormenta habuit; cum ecce ad aquas, & aërem est itum. Nudi sub frigidissimo cælo XL. Heroes Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente. Sed thermas putasses, ita nunquam aliàs major in omnibus ardor eluxit; si unum modò excipias, qui ex Martyre transfuga factus, ad balnea, quæ crudelis impietas, ut virtuti insidias faceret, pone littus statuerat, sese recepit. Sed
inve-